

PANEGYRICVS
D. M.
ET SEMPITERNÆ MEMORIAE
VIRI
INCOMPARABILIS
SAMVELIS
STRYKII,
IVRECONSULTI

POTENTISSIMI BORVSSIAE
REGIS CONSILIARII INTIMI
PROFESSORIS IN FRIDERICIANA PRIMARII
ET ORDINIS IVRIDICI PRAESIDIS ORDINARII

MERITISSIMI OLIM NVNC EHEV
DESIDERATISSIMI

X. KAL. AVG. CIOI^oCCX MORTALITATE
INTERCEPTI
LVB. LVGENTI^o. ANIMO CONSECRATVS
A

M. IO. GOTTL. HEINECCIO
ORD. PH. ADI.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis JOHANNES GRUNERI, Acad. Typogr.

Biogr. erud.

D. 228, 94.

Vitt. Erud. f. ing. - Vol. Schae -

PAULUS APOSTOLUS

AD ROMANOS

VIRI

INCOMPARABILES

SAMUELIS

STYLI

THEOLOGICI

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS

PROFESSORUM

UNIVERSITATIS



I quemadmodum animus, sic orationis atque eloquentiæ opes, triste mortalitatis fatum efugerent; nec ea esset rerum humanarum conditio, vt eloquentissimi non minus, quam indiferti, effuso extremo spiritu, conticescant: nusquam profecto, nisi in pallido **STRYKII** incomparabilis ore, par tanti viri laudibus facundia posset reperiri. Nam nec in quo dicendi vis & copia vberior exstiterit, nec in quo major fuerit oris atque orationis commendatio, ex omni memoria nostra cuiusquam recordamur. Sed **FUIT** hæc nostra quondam felicitas! **FUIT** eheu! eloquentissimus **STRYKIVS**, iucundum eruditus nomen, iurisprudentiæ columen, litterarum decus, maximum Fridericianæ ornamentum: **FUIT**, inquam, et, quod mens recenti dolore languida ægre profert, obmutuit. Non cathedras amplius diuina eius & suauissima implebit oratio: non acroateria, non iureconsultorum confessus, candidissima illius voce personabunt. Siluit, acquieuit, conticuit: nec quidquam nobis ex tanta bonorum adfluentia, præter triste desiderium, factorum inuidia reliquit. O fallaces hominum spes! o incerta gaudia! o ancipites rerum vicissitudines! Eone euentu academiam viri consummatissimi ingenio frui oportuit, vt erepto tanto acerbioris dispendio

careret? Eane lege ex **STRYKIO** tam incredibilem lætiam cepimus, ut eius amissione tanto vehementius excruciamur? O dies, o tempora, quod huic dolori nostro solatium dabitur? Quis itaque miretur, omnem ferme eloquentiæ vigorem cum **STRYKIO** elanguisse? Quis miretur, discretissimorum virorum musas, subito moerore percussas, nunc tacere; funerique huic, nulli eruditorum indefleto, tristi potius ac religioso silentio, quam laudibus parentare? Quemadmodum enim Sol, simul ac diurno itinere defunctus iucundissimum luminis sui iubar oculis nostris subduxit, non nisi tenebras orbi relinquit & nocturna silentia: ita extincto Sole nostro, extincto **STRYKIO**, quidquid antea in laudes illius officiosissimum fuit, jam moerorem silentio testatur, attonitumque obstupescit. Enimuero quid agimus? quousque lugebimus tandem? quamdiu dolori indulgebimus? Vincat demum adfectus adfectum; soluat tristitiam amor; luctum pietas; desiderium fidelis grati animi memoria. Satis luximus, quem nimis numquam lugebimus: nimis defleuimus, quem numquam deflebimus satis. Id reliquum est, ut in consummatissimi **VIRI** merita intenti, gratos nos & deuotos piis Manibus perpetuo exhibeamus. Permite igitur, o sanctissima anima, quæ iam coelitem choris associata læta lætitiis omnibus æternum triumphas: permitte, o admiratio quondam litterati orbis, nunc desiderium & dolor: permitte, inquam, desideratissime **STRYKI**, ut hæc communis tristitiæ silentia, si non tersa oratione, gemitibus tamen planctibusque turbem, & supremo hoc officio non tam **TVIS** laudibus, quam incredibilem dolori meo, satisfaciam. Amisi **TE** studiorum meorum auctorem, amisi patronum, amisi parentem, quem alterum mihi benignum Numen indusserat. Patere ergo, ut in illætabili hoc pietatis officio orbitati meæ leuamentum inueniam: & vel defuncto **TIBI** grati memorisque animi vota exsoluam, qui tot sum a viuento beneficiis cumulatus, ut ingrato mihi viuendum moriendumque videatur. Non quidem is ego sum, qui dicendo decus aliquod addere possim virtuti **TVAE** laudes omnes supergressæ. Quis enim tam abiecte de meritis **TVIS** immortalibus sentiat, ut **TE** sempiternæ gloriæ per eum commendari putet, qui **TE** commendando, nec propriam ingenii
laudem

laudem consequatur? Attamen quum nec pietati satisfacere aliter possim, nec debitori turpe sit, vel minimam crediti partem soluere, si reddere caput, atque ære alieno exire penitus nequeat: indulgebo aliquantulum ingenio, et isthoc perpetuæ venerationis meæ consecrabo monumentum: in maximo lucro positurus, si non tam disertus, quam grati piique hominis officio defungar. Minus certe alias audacem ipsa me alacriorem reddet difficultas; cogitantem, quod mihi necessario eueniet, vt tantam laudum vbertatem nec exæquare dicendo, nec cogitando satis adsequi possim, idem cui libet, quamuis exercitissimo et omnibus rebus ad dicendum instructo homini, euenturum fuisse.

Quid vero in tanta laudandarum rerum adfluentia primo, quid secundo loco proferam? Quid dicam tam præclarum ac admirabile, vt non plura atque eminentiora silentio prætermisisse videar? Obruor profecto dicendorum multitudinem, et, quod summis aliquando oratoribus contigit, copia ipsa ad inopiam redigor. Sane si rhetorum præceptis obstringendus animus, qui vel in disciplinis a seruitute abhorret: aliena multa **STRYKIO** tribuentur, qui sic abundat propriis, vt eminentis ac quæsitis aliunde neutiquam indigeat. Dicendum esset de natalium fortuna, quæ non est arbitrii nostri, sed cui libet diuino fato & voluntate destinatur. Prædicanda nobilitas patriæ, quæ auspiciatissima **STRYKII** incunabula prima adspexit. Quasi vt vina a iugis Falernis, Gauricis, Massicis: ita excelsæ animæ a patrio solo peterent pretium, et non potius ciuitati suæ splendorem virtute conciliarent. Nec prætermittendæ forent opes et fortunæ obsequia, quæ tamen nec bonum quemquam efficiunt, si adsint, neque, si absint, deteriore. Aliis igitur incedam vestigiis, et in numerosa laude non amplificandi locis, sed delectu vtar. Qui absolutissimum quoddam Phidiæ signum contemplantur, dignitate formæ adeo rapi in admirationem solent, vt mens obstupescit totius perfecti operis artificium vno obtutu non capiat. Lustrantes itaque membra singula, iam faciem persona dignam prædicant; iam decentem humerorum latitudinem, iam toros egregios et accuratum muscutorum positum; iam denique venas omnes decore expressas, ipsumque statum corporis

B

& pro-

et proportionem mirantur, et ex omnium pulchritudine partium de totius statuæ præstantia iudicant. Mihi similiter in STRYKIO perfectum Iureconsulti exemplar admiranti, per partes videtur eundem, quæ laudem hanc cumulatissime absoluunt, demonstrandumque, nec ad eruditionem admirabilem, nec ad summam prudentiam, nec ad pietatem diligentiamque incitatisimam quidquam IPSI defuisse.

Tantum est iureconsulti tamque eximium nomen, ut illo vno omnes doctrinæ sapientiæque copię contineantur. Fuerunt quidem, fuerunt tempora, quum dignitate hac in ludibrium prostituta, si demum crederentur, quidquid in iurisprudencia summum est, attigisse, qui nec leuiter gustatis sapientiæ elementis, nec optimis artibus a limine salutatis, illud vnice per omnem ætatem egissent, ut in cathedris barbari, in litibus non incauti, et in foro ranis essent loquaciores. Nati hinc leguleii, reipublicæ fatales, præcones actionum, syllabarum aucupes, qui non nisi multarum legum sibi non intellectarum principia vno spiritu recensere, atque ad singula verba Bartolum, Baldum, & nescio quæ alia pudenda sæculis nomina, velut caput aliquod Gorgoneum obuertere didicerant. O miseram, o ridiculam artem, quæ in eo fastigium sapientiæ constituit, ut fatearis, nihilo te esse aut Accursio aut Bartolo sapientiosem! Sed diu est, ex quo orbis elegantior status controuersiam mouit febriculosis hominibus, quorum auctoritate iurisprudenciæ dignitas non minus ac Atlante cœlum sustineri videbatur. Laborat nunc eorum fides, et, facta felici temporum reparatione, ea secuta est rerum immutatio, ut qui olim classicis et primis adscribebantur ordinibus, hodie vix in proletariis aut capite censitis locum inueniant. Alia nimirum sunt artis æqui et boni ornamenta, alia atque validiora præsidia, quibus dignitatem suam gloriamque cum laude tueatur. Si quis est mortalium, qui præpotente ista ac gloriosa sapientia generosum animum præmunierit; qui præstandæ tuendæque beatitudinis rerumpublicarum prudentiam sibi summam conciliarit; qui, quid iustum, quid honestum, quid decorum sit, omnesque veritatis inuestigandæ rationes in numero habeat; qui denique et vniuersam Romanæ antiquitatis effigiem, & patriæ mores ac disciplinam, veluti animo impressa, circumferat: hunc demum

mum

mum tantam adferre ad iura peritiam existimandum est, quan-
 tum horum adminiculorum copia se a vulgo segregauit. Gran-
 de profecto et arduum negotium! sed cui viuuda **STRYKII**
 excitatioque indoles ab ineunte ætate accuratissima cum dili-
 gentia se præparauit, in hoc vno omni cura atque animi soli-
 tudine defixa, vt iureconsultum aliquando non nomine ma-
 gis quam meritis referret. Vix inæstimabile hoc cœli depofi-
 tum deosculati fuerant parentes; vix mirificam filiū indolem e
 iucundis puerilis prudentiæ præludiis animaduenterant: quum
 diligenter ac prouide circumspicerent viros, qui tantæ spei ad-
 mouerentur, ingeniumque ad summa omnia natum accura-
 tissime formarent. Lentium, non ignobile in Marchia castel-
 lum, quasi omne sibi decus in **STRYKII** natalibus con-
 staret, non alia ferebat ingenia, quæ iuuenilibus studiis præes-
 sent. Sed defectum suppleuit parentum pietas, qui non de-
 tractarunt peregre alere filium, quem domi adhuc faustis sub
 penetralibus nutriuerant: pulcherrimo prodigalitatibus genere
 gloriam hanc lucrati, quod **STRYKIVM** orbi dederint,
 quo maius dare nihil potuissent. Missus hinc Seehusium, et mox,
 schola hac tantum ingenium non diutius capiente, Coloniam
 Marchicam, dici non potest, quam præcoci incremento ado-
 leuerit. In perpoliendo **ILLO** honestissima æmulatione con-
 certarunt Vossius, Mullerus, VVellius, digni hoc discipulo
 magistri: de quibus identidem cogitanti, maxime fit ambigu-
 um, illine **STRYKIO**, an hic ipsis debere plura videatur?
 Strykio, enim illi ad humanitatem optimasque artes; hic illis ad
 gloriam profuit: illi huic doctrinæ suffecerunt copias; hic reddidit
 æternitatem. O beatum discipulum his magistris! o beatissimos
 magistros discipulo tali! Sexennium iam in studiis istis tirocinia
 ingenii incredibili cum laude posuerat, talemque se præstiterat
 vbiq̃ue, vt et æqualium generosorum conatus, et magistrorum
 opinionem ingenio vinceret: reliquum erat, vt vinceret seip-
 sum, eumque campum inueniret, in quo virtus eius excurrere-
 ret, latius et parta tot vigiliis doctrina se mirifice in publico con-
 spectu explicaret. Proditum memoriæ est, Aesculapii
 quondam filiis ad commendandam artis auctoritatem suffe-
 cisse, si Alexandria se dixerint eruditos. Eadem tunc
 erat Leucoridis fama, ad quam, tamquam ad mercaturam

bonarum artium, non solum e vicinia, sed et disfitissimis regionibus ingens quotidie multitudo confluebat, exemplum inde petitura melioris cuiusdam cultiorisque doctrinæ. Hic grauiora auspicatus **STRYKIVS**, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria visus est. Quid tam est præter consuetudinem, quam adolescentulum reipublicæ destinatum politissima humanitatis studia in academiis excolere? excoluit: philosophiæ se totum tradere? tradidit: his præfidiis animum ad maiora nitentem præmunire? præmunuit. Vidisses illum iam in Sperlingii scholis castioris sapientiæ recessus curiosè indagantem: iam duce elegantissimo Kirchmaiero novos conatus mansuetioribus litteris impendentem: iam reliquorum philosophorum inhærentem subselliis. His meditamentis **NOSTER** præludit eruditioni, quam orbis mox erat admiraturus. Eat in omnis æui memoriam tam illustre exemplum, et pudore suffundat posteros, qui suas præcipitando curas, illotis, quod aiunt, manibus sublimiorum scientiarum sacra turbant, & nouo genere furoris prius eruditi esse volunt, quam erudiri. Aliud animo sedit sapientissimo **STRYKIO**, qui cum ad veram Alciatorum, Hottomannorum, Budæorumque gloriam, non dormitantem illam atque oscitantem glosfatorum sapientiam conniteretur: studiis elegantioribus selectissimam indolem admouit, quæ et fundamentum sternunt eruditioni reliquæ, et sui neglectum per omnem vitam seuera ultione vindicant. Quantum ceteris adolescentibus ad salutandos amicos, quantum ad corporis exercitationem, quantum ad alias voluptates innocuas, et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporis: quantum alii tribuunt intempestiuis conuiuuis, quantum denique alexæ, quantum pilæ: tantum ille sibimet ad hæc studia recolenda sumsit. Cuius quidem consilii quantos fructus per omnem vitam perceperit, si alia deessent huius rei argumenta, vel ex ipso, quod paullo post amplexus est, iurisprudentiæ studio apparuit. Sublimioribus enim his sacris initiatus, nihil reliquit intactum, nihil intentatum, nihil quod non sagacissima mente penetrarit. Siue vasto iuris Romani mari se committeret; siue se prærupto spatiosissimoque legum pontificiarum pelago crederet; siue rerum denique ciuiliū adsuesceret fluctibus; his semper velis securus

manu... ad...
B 2

securus tam feliciter enauigauit, vt nullis adlideretur errorum scopulis, nulla popularium opinionum incurreret breuia, nullas ignorantiae fyrtes pertimesceret. Quid ex Zieglero, Lysero, Klengelio? quid ex Nergero? quid deinde in Viadrina ex Dechero, Brunnemanno, aliisque doctissimis viris de omni iuris legumque ratione accepit, quod non animo ita præparato tam facile hæserit, vt non tam discere, quam reminisci quodammodo et recordari, ex illa vetere Platonis sententia, videretur? Quam fortunato conatu omnes et Romanæ disciplinæ et Germanici iuris rationes et diuortia vasto ingenio complexus? Quam nihil ex imperii legibus et institutis ignorare se passus est? Hunc in modum deformatus et lineis omnibus expressus descriptusque erat ille **STRYKIVS**, qui ingenii atque eruditionis admiratione non patriam solum, sed vniuersam in se Germaniam esset concitaturus. Id tantum ad summam laudem restabat, vt partes quædam expolirentur amplius, et inducto veluti colore illuminarentur, ne tanquam in Apellea tabula, sic in **STRYKIO**, quidquam pulchritudinis aut artificii deesset. Didicit proinde, etiam cum docendo esset aptissimus: neque veterano deesse videbantur, quibus capacissimum ingenium impleret. Non vt in prædiis vrbanis, sic in litterarum morumque studiis, ne altius quis tollat, actio vlllo vnquam iure prodita est: gliscit quotidie magis atque emicat generosa indoles, et limites omnes discendi cupiditate transcendit, tantamque sibi euagandi viam facit, quantam ipse scientiarum ambitus capit spatiosissimam. Quæ edoctus **NOSTER**, noluit in patria hærrere diutius, sed peregrinandi cepit impetum, non vt pulchris et munitis vrbibus aut ædificiorum splendore oculos pasceret, non vt pompas spectaret et aularum obsequia, aut innocentes patriæ mores inter peregrina vitia exueret; sed vt rediret doctior, et prudentiam auget, præcipuum illud iuris peritiæ condimentum. Quod si Pythagoras ille Samius, et quidam ex veteribus alii, digni eo nomine laudibus habiti sunt, quod vbiicumque terrarum quidquam esset, quod disci oporteat, eo commigrandum sibi existimarunt: quid de **STRYKIO** dicemus, qui iudicio suo vsus, non barbaros gymnosophistas, non Chaldæos superstitionisimos, nec illos monstrorum nutritores Aegyptios, sed cultiores Europæ nationes putauit ad-
C undas.

undas. Digna videbatur Britannia, quam primam adnavigaret. Britanniam dico, illud Europæ, qua meliorum est partium, munimentum, bellicæ togatæque prudentiæ sedem, eruditissimorum hominum seminarium: hanc, inquam, Britanniam adiit, cui par est nihil, et nihil secundum. Quidquid Londinum in aula, palatiis, museis magnificentum splendidumque habet, aut artis vsquam ac elegantia ostentat: quidquid Oxonienses Athenæ exteris in exemplum vix imitabile proponunt: totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum hoc, inquam, visit, perspexit, cognouit, intenteque obseruauit. Vidit tot viros omnis eruditionis atque elegantia principes, quorum ad eminentissimam gloriam ipse paullo post se totum composuit. His frui, cum illis esse ac versari, eorum sermonibus, studiis, moribus intendere animum, quam salubre erat ac frugiferum? Vidit tot bibliothecas locupletissimas, quarum thesauros ipse deinde animo circumferebat, Longino illi similis, quem spirantem veluti bibliothecam et ambulans museum curiosa admirata est antiquitas. Vidit denique illa regnatricis prudentia arcana, qua ipse postea auditoribus fide incorrupta euulgabat. His mercibus transmarinis locupletior, qua nec imperiosam fortuna vim, nec maris naufragia, nec piratarum insidias pertimescunt, ex Anglia soluit, secundoque ventorum flatu in Batauiam adpulit. Numquam profecto salutare Veneris sidus blandius risisse, numquam Castores fulgorem beneficum conseruisse libentius, existimo, quam illo die, quo **STRYKIVS** inter faustas amicorum adclamaciones nauem conscendit. At finge, coelum subito esse turbatum; finge, mare ventis commotum tenebris totum inhorruisse; nauem porro vasto gurgite iactatam, et nec in remis, nec clauo quidpiam praesidii reliquum, sed tristia omnia, exitiosa, conclamata: quis dubitaret, **NOSTRVM** tot parentum votis diuinitus destinatum saluum ad littus fuisse euasurum, illoque Julio Caesare multo confidentiorem timentem nautam adlocuturum: **QVID TIMES, STRYKIVM** VEHIS. Continenti igitur fausto fidere redditus, cultissimam, quanta quanta est, Batauiam ita permeauit, vt nec ipsis Batauis lucri, sed honestioris, cupiditate cederet. Docebant eo tempore
Loua-

Louanii Antonius Perezius, Franequeræ Frisorum VVissenbachius, illa iuris oracula, quorum e scholis, tanquam ex equo Troiano, maximus prudentissimorum hominum numerus prodierat. Hos audire NOSTER, his studia sua probare, horum in complexu et consuetudine versari, pulchrum sibi ac honorificum existimabat. Adiit et Lugdunum, Ultraiectum, Groeningam, iucundas Musarum sedes, et eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluentes, in quibus ita versatus est, ut fructum vberimum liceret ipsi ad conscientiam referre suam. Alcibiadem ita a natura factum canunt annales, ut quarumlibet gentium moribus versatile applicarit ingenium. Hunc tradunt Athenis omnes Athenienses splendore ac dignitate vitæ superasse; hunc Thebis ita labori inseruisse, ut nemo eum corporis viribus æquiperaret; hunc denique Lacedæmone parsimonia victus atque cultus, inter Thracas bibacitate et incontinentia, apud Persas venationibus et luxuria præstitisse perhibent. Misera profecto et infelix gloria, imitari nequitiam et vitia virtutibus redimere. Virtutes NOSTER, non vitia et fordes, sectabatur; non Socratis gibbum, sed sapientiam; non inuerecundiam Diogenis, sed fortitudinem; non vinolentiam Cratippi sed acumen imitanda iudicabat, in hoc vnice defixus, ut exploraret ingenia, et singulas, quibus exsplendescerent, dotes in se vno omnes nexu pulcherrimo copularet. Hæc via est, quam triuit **STRYKIVS**; hæc alæ, quibus ad illud doctrinæ fastigium euectus est, vnde veluti fulgentissimum aliquod lumen reipublicæ litterariæ quam diutissime illuxit; hæc accuratissima cultura, ex qua nihil potuit, nisi inuisitatum atque admirandum, efflorescere. Quid quæso dicendi facultate præclarius? At eam ita imbiberat disertissimus **STRYKIVS**, ut quacumque de re dicere ingressus esset, melle dulcior ex ore flueret oratio. Quid linguarum cognitione fructuosius? Has tanta cura suas fecerat, ut nec in Græcia, nec in Palæstina, nec in vicinis Germaniæ imperiis hospes aut peregrinus esset. Quid aut philosophia grauius, aut historiarum notitia iucundius? Sed et has disciplinas ita in numero habuit, ut iis ad iura illustranda, non ad ostentationem, vteretur. Quid de iurisprudencia dicam? in
C 2 qua

qua non homines amplius sed ipsam prouocare disciplinam videbatur. Quid de regina illa scientiarum theologia? cuius ille tantam fuerat notitiam consecutus, ut id vnum tota vita egisse videretur. Hæret hic animus, et anceps in diuersa trahitur. Si enim tot **STRYKII** decora considero, maxime vereor, ne vnoquoque iusto breuius defungar; sin reipublicæ literariæ suffragia reuoco ad animum, dubitare nequeo, quin iam nimium dixerim, cum quæ ieiuna oratione expressi, multo præclarius constanti fama atque omnium sermonibus celebrentur. Quin, si fama ipsa conticuisset; si **STRYKIVS** multo plures laudum suarum obtrectatores haberet superstites, quam qui iustum virtutibus pretium statuerent; nullumque esset præmium bonæ menti ad ingratham posteritatem propositum: duratura tamen esset gloria, tot vigiliis parta, non moritura consecrata æternitati memoria, nec interitura incomparabilis doctrinæ monimenta, quæ temporum non minus quam hominum liuorem honestissime triumphant. Epaminondam legimus famæ suæ tam fuisse securum, ut cum ingens esset obtrectatorum numerus, nec liberos ipse vllos sustulisset, qui paternam gloriam defenderent, omnem tamen venturæ ætatis inuidiam, omnes obliuionis minas generoso contemptu vltus sit, ideo, quod natam ex se relinqueret pugnam Leuctricam, quam non modo superstitem sibi, sed et immortalem futuram prædicabat. Non minus perenne monumentum superstes reliquit **STRYKIVS**; partus puta ingenii numerosissimos, quos nullus vnquam dies, nisi qui sæcula omnia, abolebit. Non hic operosiores dissertationum recensum agam, quarum complura volumina publicauit, iustæ instar bibliothecæ futura. Nec dicam de nitidis tersisque diatribis, quibus sensuum iura nouo atque inusitatissimo conatu explicauit; de quibus vere vsurpare possis, quod Plato de sensibus ipsis præclare scripserat, illas excelsæ mentis internuncias et satellites, et duces ad veritatem certissimas esse. Mitto et cautiones in contractibus et testamentis obseruandas, in quibus felici industria prudentiam consultricem cum probitate iustitiæque coniunxit. Taceo accuratam de actionibus inuestigandis tractationem, qua æquiore iure, quam C. Flavius, formularum ille compilator, sellam curulem meruit. Omitto opera, quibus de-

spon-

sponsorum disensionem, successiones intestatorum, & iura, quæ vocant, feudalia exsecutus est, luculentissima, nec non selecta, quibus Brunnemanni et Lauterbachii libros illustravit, adnotamenta, in quibus omnibus eximium se ubique, hoc est sui similem, demonstravit. Vnum occurrit, quod silentio non est prætereundum, usus pandectarum hodiernus, publicæ utilitatis egregium opus, cuius iam tres partes eruditorum votis exhibuit. Sed nos ipsa felicitate nostra infortunatos, quibus affectum hoc opus voluptatem maximam, non absolutum desiderium incredibile incusit! Inchoatam enim Apellis Venerem tristes admiramur, cuius perfectioni mors invidit; nec dabit forte ventura ætas, qui pulcherrimæ tabulæ ad præscripta lineamenta successurus sit. Hæc illa sunt invidenda opera, quibus nulla vnquam finem allatura est ætas; hæc firmissimæ exstructiones, quas nec temporum longinquitas, nec tempestatum cœlique iniuriæ, nec vlla conglobata hostium vis conficiet ac dissoluet. Quæ quidem nisi quis ita magna esse fateatur, vt ea omnibus maximarum laudum adores longe anteponenda videantur; iniquus profecto rerum æstimator sit: sed tamen sunt alia maiora. Manum enim injiciunt tot viua ac spirantia STRYKII monimenta, tot inquam viri eruditionis prudentiæque laude cumulatisimi, quibus NOSTER omnes per Germaniam academias, omnia fori subsellia, iudicia denique omnia ac palatia Principum implevit. Ludibrium cordatioribus debet Gorgias Leontinus, qui de gloria sua bene meriturus, ex quæstu, quem philosophando fecerat, statuam auream inaudito exemplo sibi ipse dedicavit. Tantis scilicet impensis homini suæ mentis stultitia stetit! Tanto molimnie hoc illi erat agendum, vt vanitatis suæ apud posteros exstaret memoria! Quanto honestius gloriæ suæ STRYKIVS consuluit, qui totidem pulcherrima simulacra, quot formata a se ac instituta ingenia posteritati consecrauit? Quo magis nimirum corpori animus æternitate antecellit: eo certior evivis doctrinæ ac virtutum simulacris, quam statuis et imaginibus, corpori geminis, immortalitas speranda est.

Parcius fortasse laudes STRYKII videbor exsecutus, qui summæ eruditionis lineas duxi, prudentiæ oblitus. Non sola profecto doctrina ac multarum rerum scientia est, quæ

quæ iureconsultum absoluit : inchoat tantum, et speciem
quamdam ac superficiem eius adornat, cui vim omnem ac ve-
luti spiritum prudentia tribuit. Namque si quis est, qui legum
tantum atque artium cognitione memoriam impleuit, et cui
in sola scientia omnis posita laus est, ille personæ tragicæ vide-
tur similis, quæ, nisi accedat Roscius, qui eam gerat decore, ge-
stuque ingenioso viam spectantibus præsentet, parum ab um-
bra aut simulacro distare videbitur. Pariter prudentia est, quæ
doctrinam iurisperiti informat atque animat, quæque maxime
confert, quod in reipublicæ redundat emolumentum. Hæc
efficit omnia, hæc patrat omnia, huius vnus beneficio legibus
sua æquitas, foro iustitia, reipublicæ securitas constat. No-
uum se hic offert incomparabilis **STRYKII** decus, no-
uum ornamentum, quod vereor vt fatis mea mens aut cogi-
tatio capere, nedum dicendo adæquare oratio possit. Vt e-
nim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare; ita ni-
si prudens non potest perspicere prudentem. Quantum mi-
hi tamen cernere datur, multa in **NOSTRO** sic emi-
nent ac elucet, vt mediocriter quoque doctos ac intelligen-
tes aduertant et adficient. Quis vnquam, viso tantum **NO-**
STRO, non absolutissimam quamdam prudentiæ imaginem si-
bi contemplari visus est? Quis non ipsis in oculis et fronte ex-
plicatissima perspicacis animi signa ac veluti radios admiratus?
Constans est cordatorum hominum opinio, iam inde ab vlti-
mis ducta temporibus eaque omnium gentium firmata con-
sensu, habitare quædam in ore mentis indicia, vultumque ita
cum indole animi conspirare, vt plerumque et orationem et
ipsas actiones præueniat. Hinc Aethiopes, credo, ac Lacedæ-
monii in deligendis magistratibus prudentiam ex dignitate for-
mæ corporisque habitu æstimarunt : et veterum sapientum
non nemo adfirmavit, si qui mortalium ea corporis dignitate,
quæ in Deorum simulacris cernebatur, vsquam terrarum repe-
rentur, dubitaturum esse neminem, quin eos ceteris impera-
re oporteat. Quid dicerent curiosi homines, si **STRY-**
KIIVM essent intuiti? Si faciem illam vidissent honestis-
simam, placidam luminum grauitatem, frontis honorem, di-
gnitatem vultus ac corporis, et cunctis venerabile celsæ proce-
ritatis decus? Quid si seueritatem supercilio et tristitia vacu-
am, et venustate temperata senectutis insignia vidissent? Quam
pul-

pulchram, quam excelsam, quam perspicacem in tam formoso domicilio mentem quæsiissent? Nec fefellisset eos augurium. Quam enim rectitudinem mentis et iudicii inæstimabili Dei munere erat consecutus, eam firmauerat doctrina, et diuturno usu ita perfecerat, ut actionum omnium indolem attento animo perspiceret, iuris ac honestatis rationes magna circumspeditione perpenderet, succrescentia litium semina prouide extingueret, omnesque calumniarum latebras retegeret accurate. Tu testis es, illustris academia Viadrina, cui **STRYKIVS** noster, per omnia honorum stadia decurrens, summam in iure dicundo celebritatem prudentia sua conciliavit. Testis et tu, celeberrima Leucoris, quam **STRYKII** prudentia decem annos præstitit beatissimam. Et quid Te, alma mater Fridericiana, intra tam breue temporis spatium, ad eum florem et celebritatem famæ euexit, ut de fructuum copia præstantiaque cum antiquissimis academiis frequentissimisque certare possis? Quid, inquam? nisi **STRYKII** prudentia, quæ in rebus omnibus clarissime semper eluxit. Hanc **NOSTER** docendi ratione perpetuo demonstravit, Docuit enim suauitate incredibili, quæ omnium ad se oculos animosque aduerteret, prudentia vero tanta, ut nemo quidquam ex eo audiuerit, nisi profuturum, nec didicerit, quod nesciuisset rectius. Hanc adhibuit, quoties interrogantibus de iure erat respondendum. Nihil enim statuendum, nihil pronuntiandum existimabat, nisi quod prudenti causæ cum legibus comparatione iure statuendum pronuntiandumque videretur. Hujus denique præsidio reliquas muneris sui rationes omnes felicissimis auspiciis confecit. Siue enim in moderandis academiis eius iudicio opus esset; siue in iudiciis recuperatoriis eius industria deligeretur; siue denique in aulis exposcerentur consilia: talem se semper dedit **STRYKIVS**, ut prudentiæ sibi laudem seruaret integram, gratiamque summorum Principum conciliaret. Magnum est, placere Principi; maius adhuc plurium imperantium iudicio probari; at inconcusam eorum retinere gratiam, hoc in maximis negotiis difficillimisque numerandum. Quæ omnia **NOSTER**, non quodam fortunæ errore, aut fide in obsequium seruile submissa, sed inusitata prudentia est consecutus. Amatus est, quia meruit: nec desinit amari, cum nec mereri desierit. Certarunt in illo ornando eminentissimi Principes, inter quos, cum omnibus

in rebus mira esset concordia, in hoc vno conuenire non potuit, quis **STRYKIVM** possideret. Hunc gloriosus Princeps **FRIDERICVS VVILHELMVS** Magnus, at quam accuratus ingeniorum æstimator! in Academia Viadrina summis honoribus auxit. Hunc **IOHANNES GEORGIVS** Saxoniae Elector Leucoridis suæ ornamentum votis omnibus poposcit. Hunc potentissimus **DANIAE REX** tamquam splendidissimum aliquod lumen septentrioni inferre contendit: Hunc denique **SACRATISSIMVS FRIDERICVS** noster suum vindicauit, nouæque, quam Halæ constituerat, litterarum coloniae veluti Palladium aliquod pignusque futuræ felicitatis dedit. Quin ne quid **NOSTRO** ad summam laudem deesset, ipsi Augustissimo **LEOPOLDO** prudentia **STRYKII** nostri digna visa est, quam amplissima Comitis palatii dignitate decoraret, vt testatius esset imperii ciuibus, quantum abs se prudentiæ pretium ponatur. Mirifica Homeri, poëtæ sine exemplo maximi, post fata celebratur felicitas, quam liberalitati forte poëtarum magis, quam vero debet. Eum enim Colophonii civem esse dicebant suum, Chii suum vendicabant, repetebant Salaminii, Smyrnæi vero suum esse, dedicato apud se illius delubro, confirmabant. Sed reliquerit ille tot ciuitates, quæ ciuem ipsum fato iam functum expetiuerint: quanto felicius et maius, haut pauciores non ciuitates, sed Principes Deo proximos, vidisse **NOSTRVM**, qui de se ornando fruendoque contenderent? Iam Homerum beneficæ istæ vrbes intempestiua munificentia mortuum ciuitate donarunt, quem viuum inopem ac ingeniole mendicantem destituerant, nullamque habere passi fuerant, nisi ex conscientia, mercedem. Noster et viuus Principum gratia floruit, et florentissimis rebus suis decessit, exemplo posteris futurus, quantum in prudentia virtuti præsidium sit, quantum innocentiae munimentum.

Nec vero pietas **EIVS**, ceteræque, quibus enituit, virtutes sine laudibus videntur esse dimittendæ, iustitia, puta, humanitas, beneficentia, reliquæ, quas communi vita aut priuatim ita excoluit, vt æque illarum fructus in rempublicam litterariam, cui natus erat, remitterentur. Prima vtique atque excellentissima iureconsulti laus in pietate sita est: quæ si ab eius

per-

persona absit ; aut summum ius, quod aiunt veteres, summam fieri iniuriam, aut iniuriam iustitiæ speciem induere necesse est. Nam neque in verum ac iustum quisquam mente incorrupta inquireret, nisi eum antea irradiarit Numen propitium, neque ea, quæ iusta deprehenderit, ad publicam salutem referet animus, nisi emendatus. Quæ virtus cum iustam rationem apud omnes habeat, qui iuri dicundo interpretando-ue operam nauant : cui potior est, quam profesori? aut cui magis suspicienda colendaque est, quam ei, qui principem inter doctores, principem inter iustitiæ sacerdotes locum obtinet? Flexibiles quamcumque in partem ducimur a præceptoribus, et, vt ita dicam, sequaces sumus. His enim cari, his probati esse cupimus; quod frustra sperauerint dissimiles : eoque obsequii continuatione peruenimus, vt prope omnes eorum moribus viuamus. Ad hos dirigimur, ad hos conuertimur vnice, his tanquam perpetuæ cuidam censuræ paremus: non tam præceptis nobis opus est, quam exemplis, tanto maius in se pondus habituris, quanto luculentius adprobant, ea, quæ præcipiuntur, fieri posse. Nunquam Zenonem expressisset Cleanthes, nisi ille egisset imitanda; hic imitatus esset acta egregie. At vero, dum non modo scholis illius ac sermonibus, sed vitæ etiam interfuit, dum secreta omnia perspexit, illumque, an ex formula sua viueret, cum cura obseruauit; tam acri ac vehemente incitatione animus ad virtutem inflammatus est, vt Cleanthes Zenonem brevi tempore totum sapientia referret. Platonem quoque, et omnem in diuersa ituram sapientum turbam, plus ex moribus, quam verbis Socratis traxisse, memoriæ proditum est. Denique et Metrodorum et Hermachum et Polyænum viros eruditissimos non schola Epicuri, sed contubernium fecisse dicitur. Edoctus ista ab ineunte ætate **STRYKIVS** omnes reliquas, quibus adfluebat, virtutes ac ornamenta parum ad vsum reipublicæ pertinere iudicauit, nisi suis exemplo æque ad pietatem, ac præceptis ad doctrinam prodesset. Prima hinc **ILLI** ac antiquissima cura, Christo seruatore frui, illius meritis expiare sordes, illius gratiæ præsidio emendare animum, caste porro et pie Deum colere, puras et sanctas ei allegare preces, et vt paucis me expediam, ita vitæ suæ rationes suscipere, vt quæcumque faceret, omnia fugiendæ turpitudinis

E

dinis

dinis et honestatis adipiscendæ causa sibi facienda esse statueret. In his auspicabatur diem, et finiebat; hoc ipsius negotium, hoc otium; hic labor, hæc quies; in his vigiliis, in his etiam somnum reponebat, longe ab illis diuersus, qui summam in eo iurisperiti laudem collocandam existimant, si conscientia pariter ac pietatis sensum omnem amiserit.

Ea est pietatis sanctitatisque conditio, vt nunquam seiunctas a se habeat virtutes reliquas, sed istis semper comitata adsit, et, tanquam earum regina, sacro hoc satellitio stipata, effulgeat. Simul ac Sol, ille ductor siderum, cælo nostro illuxit; tam innumeri statim radii orbem simul implent, vt nullum eius spatium sit, quod non splendidissimum illorum pervadat lumen, pulsisque tenebris illustret. Simillime pietatem fulgentissimum virtutum reliquarum iubar sequitur, quod tam mirifice in omnibus actionibus exsplendescit, vt nulla sit vitæ pars, neque publicis neque priuatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, quæ non inde decus ac lumen fortiatur. Id quod in nemine, quam **STRYKIO** nostro, adparuit luculentius, qui pietate clarus, omnibus simul virtutibus enituit. Iustitiam, cuius se sacerdotem nouerat, colebat religiose, nec ferebat improbitatem et tergiuersationes, quibus rabulæ vnice triumphant, turpissimas. Grauis præterea fuit, si quisquam alius, idem vero etiam comis et benignus erga omnes, sed probos maxime, hoc est sui similes, quorum nullum a se tristem vnquam discedere passus est. Insectabatur vitia, non homines, nullius rei facilius oblitus, quam iniuriarum. Nihil iucundius suauisque sibi existimauit, quam emendare errantes, idque tam sapienter præstitit, vt sequerentur monentem attenti, et persuaderi sibi, etiam cum persuaserat, cuperent. Mitto placidam ac quietam animi constantiam, cuius per omnem vitam studiosissimus fuit, cui seruiuit vnice, quam nullis temere litibus aut iurgiis turbavit, procul ab illis seiunctus, quos vel verbo lacesitos statim mala mens et nescio quis furor in simulates et scenica conuitia agit. Vt paucis me expediam, tanta **STRYKIO** nostro concordia, tantus concentus omnium laudum
omnis-

omnisque gloriæ contigit, vt nihil pietati eius vitæ elegantia, nihil feueritati comitate, nihil grauitati humanitate detraheretur.

Quid denique de diligentia dicam ac assiduitate admiranda, quæ tot virtutibus tamquam cumulus accessit? Quis credat, **ILLVM** ab ineunte fere adolescentia grauisimis muneribus admotum tot negotia vix multis ferenda tam diu sustinuisse? Quis vero credat ita sustinuisse, vt et scribendis tot æternis voluminibus suffecerit? Jam miseri ac depressi homines per vniuersam Germaniam eius opem ac consilia expetebant: iam academiæ, iam ordinis sui occupationibus vrgebatur, iam aularum negotia expedienda. His tamen fluctibus, quibus vel constantissimus quisque opprimeretur, vivida indole subnixus felici industria se emerfit; laboris patientissimus, parcus temporum dispensator. Nunquam in cathedra eius opera, nunquam vox desiderata est, nec senex quidem ætatis vacatione vti, aut valetudini potius suæ, quam adolescentum studiis, seruire maluit, horas omnes sibi periisse ratus, quas spei iuuenum, votisque parentum flagrantissimis subtraxisset. Celebratur **Tullio Q. Mutius**, cuius ianua et vestibulum in eius infirmissima valetudine affectaque ætate, maxima quotidie frequentia ciuium et summo hominum splendore ita celebrabatur, vt eius domus oraculum vniuersæ ciuitatis esse videretur. Quam multo maioris admirationis fuit, venerandum senem nostrum intueri, prostratis licet per ætatem valetudinemque viribus, in frequentissima tamen iuuenum corona ternis per diem horis iura præclara industria interpretantem? Quanto iucundius spectaculum, **STRYKIVM** videre, sola canitie ac corporis imbecillitate senem, ingenio iuuenem, viribus quotidie maiora conantem non magis, quam perficientem egregie? Sic vixit **NOSTER**, sic adoleuit, sic consenuit, sic (o triste ac illætabile verbum!) decessit. Vltimum enim vitæ actum dum maxima cura perpoliuit, stitit, abruptis insuperabile fatum præclaras decursiones, et Virum immortalitate dignissimum ex vita tanquam virtutum suarum teatro euocauit. Stantem **Vespasianum**; **NOSTRVM** laborantem, iura reddentem ac docentem propemodum
E 2
mori

mori decuit, in hoc illo felicior, quod nullo morbo, nisi senectute, debilitatus sine vlllo mortis sensu exspiravit, quod septuagenarius fere instar iuuenis desideratur, quod animam denique, Deo amatam, Deo deuotam, cœlo, vnde acceperat, reddidit, vbi jam inter spiritus beatissimos lætitia ineffabili triumphans, æternitati interest, ad quam non nisi ita morienti iter patuit.

Heu lux! heu sidus academiæ! heu pater desideratissime! quo abis? Quo nemo eruditione ac doctrina ornatior, prudentia consultior, pietate et iustitia sanctior, nemo innumerabilibus in nos meritis clarior illustriorque fuit. Quem vnum in primis parentis loco venerari, quem vnum suspicere omnes ac reuereri: vnde discendi cupidi doctrinam, oppressi opem, dubii consilium exposcere solebant. Heu decus academiæ! heu litterariæ reipublicæ ornamentum! heu fulcrum spei nostræ, firmissimumque columen! Eamne calamitatem incidere nos, vt funus TVVM deflere oporteat, quod concitatisima pietate totque precibus adhuc sumus deprecati? Quid tanto dolori nostro afferet leuamentum! quod tanto remedium vulneri inueniemus? Sed quo abripior? In te vno nobis spes omnis sita est, summe ac æterne DEVS, stator academiæ, quem propter beneficia populus Christianus optimum, propter vim ac potestatem maximum cognominat. Te, summe rerum arbiter, oramus ac religiose veneramur, vt vulneri remedium, dolori solatium afferas. Serua nobis academiã, quæ REGIS SAPIENTISSIMI auspiciis inter medias belli tempestates nata, tuo munere tam breui tempore tam feliciter ad oleuit, vt ætate sua maior superiorque videatur. Serua, quos superstites per TE habemus, professores excellentissimos, vt reddant nobis, quem amisimus, STRYKIVM. Serua vnicum paternæ virtutis heredem, vt patrem desideratissimum in se Fridericianæ restituat, et quam diutissime adplaudentibus vniuersis exhibeat. Serua denique ac sospitem, incolumem, florentem præsta celeberrimum THOMASIVM, dignissimum solo STRYKIO successorem, & ORDINARIVM Fridericianæ nostræ ALTERVM potius, quam SECVNDVM.

